

1501 ter accepti, cum ille ab eis petiisset, ut secum aut ad Dyrrhachium recuperandum, aut ad insulam Leucadiam oppugnandam accederent; neutro negotio suscepto, quod dicerent suum sibi regem mandavisse, ut contra classem Thraciam una cum Veneta omnem belli fortunam experirentur, ab oppidis obsidendis aut omnino tentandis abstinere; quo itinere venerant, domum discesserunt. Ea erat classis navium onerariarum undetriginta: quarum quinque satis magnæ, reliquæ pusillæ, sed omnes magna tormentorum vi & numero militum pulcherrime instructæ, tum opertis singularum tegumento versicolore puppibus, ut late aquam tentoria tangerent, fluctibusque verrerentur (quoniam in nostris classibus id non fit, præterquam in navibus longis; neque illo impendio, sed ad usum tantum) inusitatam atque egregiam classis faciem præbuerunt.

Illis destituti Patres classibus rogationem jusserunt, ut triremes in Creta insula decem armarentur, eisque triremibus, quo libentius civitates imperata facerent, præfecti Cretenses imponerentur. Itaque triremes ex navalibus, pecunia in stipendium ex ærario est in Cretam missa. Latum etiam, ne quid intentatum Patres relinquerent, ut Franciscus Capellus (cui legatione apud Aloisium functo Dominicus Trivisanus, Hieronymus Donatus de regno Neapolitano sub ejus imperium redactò gratulatum a Senatu missi successerant) ad Henricum Britanniarum regem socium atque amicum reipublicæ proficisceretur auxilium in Turcas postulatum. Tametsi nuntii venerant, Bajasetem a rege Pannoniæ bello lacescitum, suas vires eo convertisse, navium ædificatione intermissa. nam e Pannonia literæ ad Senatum datæ certiores Patres fecerant, Turcas equites, cum Danubium flumen trajecissent, ut in fines hostium incursiones facerent, a regio exercitu fusos, duobus millibus interfectis revertisse: tum transmissò ab eodem exercitu flumine Turcas duobus itineribus interclusos maleque habitos, partem suorum non spernendam, una cum duce filioque ducis amisisse. Pisaurus profectis Lusitanis, uti classe Gallica se conjungeret, omnem diligentiam adhibuit.

*Uladislai
Pannonis
de Turcis
victoria.*